

sancteque definita sunt, ea ab omnibus diligenter exacteque fuissent observata, jam nunc Ecclesius nostrae Provinciae pluribus doctis, et probatae vita Sacerdotibus, et aliis Ecclesiasticis viris, ex quorum exemplo totius populi Christiani reformatio pendet, magis decoratas haberemus. In Compil. Jo. Teres Lib. I. Tit. VII. cap. 4. (*) Non me latet laudato Cap. 2. Patres Tridentinos titulum Patrimonii, vel pensionis agnoscere, ac probasse; at illud quoque certum est, ejusmodi titulos ea duntaxat causa admisisse, si id Ecclesiae necessitas, vel utilitas postulasset. *Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit adsumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum.* Hæ Tridentinæ Sanctiones novissima Concordatorum lege firmatae, atque adeo ad ordines etiam minores, primamque clericalem Tonsuram extensæ sunt. Cap. IV. n. 1. et 2. (**) Patrimonii verò, vel Pensionis titulus ideo inventus est, et à Syn. Trid. probatus, ne ob Beneficiorum raritatem necessario Ecclesiae servitio Ministri decessent. Unde qui Patrimonii, vel Pensionis titulo ordinati sunt, non minus Ecclesiae, cui tanquam necessarij adscripti sunt, adligati esse debent, quam Beneficiarii. Syn. Prov. Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 32. alias 33. *Ea vero deputatio (sic progreditur) in Litteris Ordinum testimoniali bus adscribatur, ut Visitatores a singulis ejus ministeri rationem exigant. Quod si inconsulto Episcopo locum, cui adscripti sunt, deseruerint, eis ex præscripto Tridentine Synodi Sacrorum exercitium interdicatur.* Sed quia plerumque evenire solet, ut nonnulli se ipsos fallentes, non Deum, simulatis donationibus cum tacito, vel expresso restituendi pacto, vel falsis etiam de industria conquisitis testibus, aliisque fraudibus conficta Patrimonia.... ordinationis causa producunt; si quis post hac (ita in Decret. præced.) falsa, confictaque huiuscemodi Patrimonia, vel commodata Beneficia, ut ordinetur, attulerit, ab executione ordinum ipso facto, quoad Ordinario visum fuerit, suspensus exsistat, ac præterea arbitrariis penis severe multetur. Illeæ Tridentinæ Sanctiones de adscribendis eidam Ecclesiae ordinandis firmatae sunt. Bulla Apostolici Ministerii Innoc. XIII. §. 3. et Concordati an. 1737. Art. IV. et IX. etiam ad ordines minores, primamque Clericalem Tonsuram extensem sunt. Vides Lib. I. Tit. XXIV. (*)

XV. Coronidis tandem loco hic addam auream in hanc rem Benedicti XIV. Constitutionem, à qua mihi temperare non potui; ubi omnium retro R. Pontificum sapientissimus Papa universos Christiani Orbis Episcopos ita hortatur: *In id mentis vestræ acies primum dirigenda est, ut cum adcurato dlectu, ii Clericalli militiae adscribantur, a quibus merito possit exspectari, ut iis in lege Domini ambulantibus, et de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis adferat reverationem, et eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem adferat utilitatem. Melius enim profecto est paucos habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in edificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri. Apostoli præceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad sacros Ordines, et ad Sacratissima Mysteria, quibus nihil est divinus, agendum sit.*

CAPUT SEXTUS.

DE PÆNITENTIA.

I. *Sacramentum Pœnitentia olim ab antiquis Ecclesiæ Patribus Confessio, Mannum Impositio, Fiacicum, Secunda Tabula post naufragium, Laboriosum*

*Baptisma, (**) Pœnitentia, Benedictio, Communio, (*) aliisque adpellationibus designatum, tribus potissimum partibus, quasi materia constat, scilicet peccatorum confessione, contritione, et satisfactione, sive potius proposito satisfaciendi; (**) quibus verborum expressionibus usa est Syn. Penna-fid. an. 1302. Cap. IV. (*) formam verò constituit absolutio, quæ antiquitus enuntiabatur verbis deprecativis, at secutis temporibus proferri coepit verbis indicativis; quod et hodie obtinet, ac Rituale R. præscribit. Eugenius IV. in Decret. pro Armenis. Syn. Trid. Sess. XIV. de Pœnit. cap. 6. (1)*

II. Prioribus Ecclesiae sæculis, atque adeo fere ad sæculum usque XII. triplex in Ecclesia, viguit Pœnitentia genus, scilicet Solemnis, sive Canonicae, Publicæ, et Private; (**) adhuc tamen secutis temporibus viguisse partim publicæ pœnitentia genus ediscimus ex Syn. Cojac. an. 1050. Cap. IV. et ex Syn. Tolet. an. 1323. Cap. XVIII. (*) Verum de hoc veteris disciplinæ capite late agemus in nostris Antiquitatibus Christianis, ut etiam de Canonibus, et Libris Pœnitentialibus. Illud hic duntaxat observare præstat, veterem Ecclesiae disciplinam in pœnitentia solemnii, et publica injungenda non esse omnino abolitam. Synod. enim. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 8. decernit, ut ubi de criminibus agatur, quæ publice, et coram multis sint perpetrata, condignam pro modo culpe pœnitentian publice injungi oporteat: verum facultatem Episcopo tribuit, qua possit publicum pœnitentia genus, in aliud secretum commutare, si id conducere judicaverit. Adhæc solemnem etiam pœnitentiam etiamnum Episcopis in Pontificali exhibit Ecclesia, ejusque ritum exacte describit, ut pro temporum, locorum, atque criminum gravitate, et personarum qualitate eam reducant. Haec autem injungendæ Dies cinerum; quemadmodum publicæ absolutioni Feria V. in Cœna Domini aptissimum judicatur tempus: (**) Constit. Syn. Valent. an. 1255. Constit. de Confess. (*) et Pontificale R. Part. III. num. 2. et 3. S. Carolus Borromæus ad utriusque publicæ, ac solemnis pœnitentie instaurationem Episcopos, Parochosque hortatur in suis Synodis. (**) At hujus Canonicae pœnitentia pâne nullum vestigium hodie videmus. (*)

III. Septem prioribus Ecclesiae sæculis non modo in gravissimis delictis, verum et in minoribus reservata Episcopo erat facultas pœnitentes reconciliandi: S. Cypr. Ep. II. Syn. Carthag. III. Can. XXXII. (**) Et Hispal. II. an. 619. Can. VII. Verum ex hac lege idem Canon Carthaginensis videlicet eum eximit, qui in extremis ageret, hic enim poterat à Presbytero reconciliari, alioqui à solo Episcopo, vel eo jubente à Presbytero. Syn. Illiberit. Can. XXXII. (*) Nam Canoniam inter, et simpliciter publicam Pœnitentiam id discriminis intercedebat, quod illa nonni si ab Episcopo publice in Ecclesia ante Apsidem per manuum impositionem injungeretur, qua peracta eadem sollemnitate fiebat reconciliatio; hæc verò pro occultis peccatis quemadmodum secreto ab Episcopo, vel à Presbytero Episcopi auctoritate imponebatur, ita, ea peracta, etiam reconciliatio occulte, fiebat, et quidem vel ab Episcopo, vel Episcopo absente, ipso etiam inconsulto, à simplici Presbytero. (**) Syn. Hispal. II. laud. Can. VII. (*)

IV. Jam verò post sæculum VIII. ut publica pro occultis peccatis pœnitentia in desuetudinem abiit, ita quoque occultorum criminum pœnitentiam Presbyteris concessam fuisse creditum est, publicorum tantummodo Episcopis reservata. Hoc autem non de omnibus promiscue Presbyteris intelligas, sed de iis duntaxat, qui

(1) Vide LL. 18, 23, 30 et 37 tit. 4 part. 1. et L. 1. tit. 11 lib. 8 Novissimæ Recop. quæ præcipitur sub pena pecuniaria Medicis et Chirurgis, ut infirmos periculosè sese confiteri admoneant. (2)

bus cura animarum commissa erat, scilicet Parochis. Et quidem ex eo tempore jus excipiendi fidelium confessiones ipsi beneficio parochiali *immediate* adnexum haberi cœpit: Trident. Sess. XXI. Ref. cap. 4. Atque indè est, quod ad sœculum usque XIII. quisque adstrictus erat proprio Sacerdoti, sive Parocho, aliive Superiori sua peccata confiteri; ut patet ex Cap. *Omnis utriusque sexus 12. de Pœnit. et Remis.* ubi etiam in hæc verba decernitur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat a proprio Sacerdote, quum aliter ipse illum, non possit absolvere, vel ligare.* (**) Id ipsum constituit Rodericus Tellius in Syn. Tarragon. an. 1291. in Compil. Jo. Teres Lib. V. Tit. XVI. cap. 2. et eandem suis tunc Ecclesiæ disciplinam testatur Alphonsus Sapiens in Leg. XXI. et XXII. Tit IV. P. I. (*)

V. (**) Sæculo XIII. aliis, quam Parochis absolvendi facultas indulgeri cœpit. (*) Episcopis, et aliis Superioribus, neconon minoribus Prælatis exemptis Gregorius IX. primus indulxit, *ut etiam prater sui Superioris licentiam providum, et discretum sibi possint eligere Confessarium.* (**) De Pœnitentiario Majori Episcopi, sive de Sacerdote, qui exciperet loco Episcopi fidelium Confessiones meminit Andreas Albalatus Episcop. Valent. præf. *Constit. de Confess.* Jo. Archiepiscop. in Syn. Tolet. laud. Cap. XVIII. concessit Curatis, *ut possent consocio, vel alteri discreto Presbytero confiteri;* et Jo. ab Aragon. Archiep. Tarragon. in Syn. an. 1229. *quod Presbyter volens Missam celebrare, si non habet copiam proprii Confessoris, possit cuilibet Presbytero idoneo sua peccata confiteri.* Videsis Compil. Jo. Teres Constit. Superfl. ex Lib. V. de Pœnit. cap. 3. (*) Tum idem hic Gregorius Fratres Prædicatores privilegio fidelium confessiones excipiendi impertit: Bulla data (**) in Urbe-Veteri 17. Kalend. April. an. 1230. id quod indicat præfatus Andreas Albalatus *ibid.* (*) quod dein alii Mendicantes, præsertim Minores consecuti sunt. (**) Clement. *Dudum de Sepulturis*, et Syn. Dertus. Cap. XVII. (*) Verùm ejus nodi privilegium ad ea tempora inauditum quum gravia Prælatos, ac Paroehos inter, et Mendicantes dissidia excitasset, hæc prorsus eveltere, ac omnimode submovere intendens Bonifacius VIII. sanxit, ut Regulares administrande Pœnitentiæ veniam pro idoneis fratribus ab Episcopis, prælatis, Diœcesanis postularent: quid si autem hi renuerent, possent quorumlibet confessiones liberè audire: Cap. 2. de Sepult. in extrav. Communibus. Tum Benedictus XI. Ordinis Prædicatorum maluit Ordinarios cogere ad impartiendam tres intra dies designatis à Superiori fratribus petitam veniam, quibus elapsis, munus Confessarii obirent sine impedimento: Extrav. Comm. Cap. 1. de Privilegiis. Dein Clemens V. Bonifacii Constitutionem innovavit: Clement. *Dudum 2 de Sepulturis;* illam vero Benedicti Alexander V. ex Ordine Minorum restituit: Constit. *Regnans in excelsis.* Tum qui secuti sunt R. Pontifices potius favere, quam adversari ejusmodi Regularium privilegiis studuerunt. Tandem Synodus Trident. Sess. XXIII. Ref. Cap. 15. decernit, *nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et adprobationem quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, et consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

VI. Modo indicata illa Mendicantium *Privilegia non nisi salvo Parochi sive proprii Sacerdotis jure sunt intelligenda;* tum quod in privilegiis salvum semper censetur *jus tertii,* tum vero præcipue quia eo sensu privilegia illa interpretati sunt R. Pontifices, ac præsertim Martinus IV. et Sixtus IV. Ille enim in Bulla an.

1280. expressè declarat, quid ii, qui fratribus confitebuntur *suis Presbyteris Parochialibus* confiteri, *saltem semel in anno, prout Concilium generale statuit tenetur,* (**) et quid iudicentur fratres eos ad hoc diligenter, et efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. (*) Hic vero in Extrav. *Vices 2. de Tregua* præcipit, ut ipsi Mendicantes docere desistant, haud teneri Parochianos, saltem Paschatis tempore, proprio Sacerdoti peccata sua confiteri. *Quia, ait, de jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* (**) Unde laud. Jo. Archiepisc. Tolet. in Syn. an. 1324. Cap. VII. Presbyteris, ut possent frequentius celebrare tunc tantummodo concessit *alii Presbytero confiteri,* quum non possint commodè copiam sui Curati habere. (*) Plures Synodi etiam post Concilium Tridentinum antiquam consuetudinem semel saltem in anno proprio Parocho confitendi inviolatè servandam decrevere. S. Carolus in I. Syn. Provinc. Mediolan. Par. II. cap. 5. Porro ipsem Sanctissimus Archiepiscopus in sua Syn. Diceces. XI. Parochis imperat, *ut faciles se præbeant in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, ut ad alios Confessarios probatos se conferant.* I. Syn. Prov. Neap. hac de re sic decernit: *Servetur Constitutio felic. record. Inocentii III. ut saltem semel in anno proprio Sacerdoti, vel alteri ab Ordinario adprobato, singuli peccata sua confiteantur sub pénis ibi contentis, atque aliis arbitrio nostro pendendis.* Profectò postrema hæc verba satis indicant eam fuisse Concilii sententiam, nimurum Parocho saltem constare debere suos Parochianos annuæ Confessionis præcepto fecisse satis. (**) Id ipsum Conc. Hispan. voluisse facilè quisquam deprehendet, qui eorum Canones attentè legit. Videsis hujus Lib. Tit. IV. (*)

VII. Igitur jure novissimo in singulis Diœcesibus Episcopi, Parochi, aliquique, quibus animarum cura concredata est, Sacramenti Pœnitentiæ ministri sunt ordinarii, et proprii: ceteri vero, sive Presbyteri, sive Regulares illud jure veluti extraordinario, et delegato administrant, (**) et ii tantummodo, qui ab Ordinario adprobati fuerint, et illius facultatem, quæ gratis detur, in scriptis habuerint. Syn. Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 16. ex præscript. Trident. Sess. XXIII. Ref. cap. 15. (*) Tum Parochi vi sui beneficii facultatem habent excipiendi confessiones suorum Parochianorum etiam extra propriam Parochiam, atque adeo Diœcesim; ceteri vero Presbyteri, nisi re ipsa ab Episcopo adprobati sint, confessiones excipere vetantur: et quamvis ab Episcopo fuerint adprobati, attamen *dum in alienis Parochiis hoc Sacramentum ministrare usuvenit, a Parocho vel ab Ordinario licentiam ministrandi impetrant:* I. Syn. Prov. Neap. cap. 16. Quinimmo his Episcopi pro suo arbitrio limitatam ad tempus, personas, et materiam concedere solent facultatem. Plerumque ad sex menses impartiri solet, et aliquando pro viris tantum ratione ætatis. Adhæc ut plurimum confessiones Monialium excipiuntur, quibus exquisito Confessario opus est, nonnullique casus atroces, quos sibi Episcopus reservat: Trid. Sess. XIV. de Sacr. Pœnit. cap. 7. (**) Quum primò cœperunt Episcopi alios præter Parochos Confessarios instituere, tunc etiam cœpisse videtur reservationis usus, ita ut atrociora generatim crimina Episcopis tunc absolvenda reservarentur. Addes laud. Constit. Valent. *ibid.* Dein vero quædam speciatim peccata duxerunt sibi reservare Episcopi, ut gessit sepius laud. Jo. Tolet. in præf. Synod. *ibidem.* (*) Sunt quoque casus veteri consuetudine R. Pontifici reservati; à quibus, ut quis absolvit potuisset, olim Romam eundum fuit. At hodie Episcopis, nonnullisque Presbyteris facultas de iisdem absolvendis à R. Pontifice impetriri solet. (**) In Hispania exstat Bulla S. Cruciatæ, qua pœnitentibus concessum est, ut ab reservatis Episcopo toties absolvit à Confessa-

rio possint, quoties illa committant, semelque intra ejusdem Bullæ publicationis annum, et in mortis discrimine ab iis omnibus, quorum absolutio R. Pontifici est adligata, si hæresis crimen excipias. (*)

VIII. De casibus R. Pontifici reservatis, uti quoque de reservatis Archiep. Neap. opportunius in Institutionibus Moralibus. Illud hic tantummodo observare juvat, reservationum utilitatem in eo præcipuè positam esse, ut homines perpen- sa absolutionis difficultate, ab illis criminibus abhorreant, (**) et ad resistendum peccato eo cautiores reddantur, quo peccata arctabuntur verecundius confiteri. Ita mox laud. Jo. Tolet. *ibid.* (*) Pœnitentiarius veluti Episcopi delegatus est, ut de iis cognoscat, et absolvat. In mortis autem articulo quilibet Presbyter à quibuscumque, etiam Papæ reservatis criminibus mórti proximum absolvit; Trident. mox cit. loc. modo is quædam pœnitentiæ signa edat; (**) qui enim pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus est; sed si præceptum mortis urget periculum, pœnitentia per manus impositio- nem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est. Hæc Synod. Tolet. XI. Can. XII. Consonat Illiberit. passim: Nicæn. Can. XII. Barcinon. an. 540. Can. VIII. Ne plures. Nunquam enim Ecclesia nisi penitentibus absolutionis Viaticum impen- dendum esse censuit. Unde Synod. Tolet. XII. Can. II. ita decernit: *Sacerdos, qui non sentienti, neque penenti ausu temerario pœnitentiam dederit, neque se exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit manum indicis, vel quibuslibet aliis evi- dentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit.* Aliter quam tota retro Ecclesiæ antiquitas opinari exorsi sunt benignissimi nostri temporis Theologi. Extremam animam agentibus, et si pœnitentiæ signa non edant, neque ediderint, conditionatam absolutionis formulam: *Si capax es, vel hanc: Si adponis verum dolorem impertiendam esse contendunt. At nihil nisi pietatem, benignitatem, lenitatem in hujus noviter exco- gitatae opinionis fulcrum, momenti producunt. iSed quid? iEcclesia, quæ tot retroactis sæculis absolutionem, nisi penitentibus denegavit, Ecclesia, quæ nullum hucusque Canonem in hujus recentis sententiæ patrocinium edidit, atrox dicenda erit, trux, crudelis? iBenigniores ne erunt isti Theologi tota Ecclesia? Inclamant: Posita conditionata verborum forma, nulla Sacramento injurya irrogatur. Verum i quis hanc conditionem formæ absolutionis adpinxit, ut si forte posset, debitam Sacramento salvaret venerationem? Temere inventam dixit Illmus. Ge- netus: hunc sed immerito redarguit Cl. Berti Theolog. Discipl. *Libro XXXIV. Cap. 8.* Porrò sæculo VIII. cavendæ Baptismi iterationi Baptismatis Sacra- menti formæ, hæc adjecta est conditio: *Si non es baptizatus &c.* Hæc sæculo XII. probata est ab Alexand. III. sæculo XIII. à Gregorio IX. inserta est Juri Cano- nico *Cap. 2. de Baptismo*, atque ab omnibus generatim accepta est; à præf. An- drea Albal. nimirus in *Const. de forma Baptismi*, et à Jo. Tolet. in præf. Syn. *Cap. XV.* Sæculo XVI. à Clemente VIII. præscripta est Episcopis Latinis con- firmantibus baptizatos à Presbyteris Græcis; sed conditio *Si capax es*, eaque in absolutionis formula, recentissima plane est, et à Theologis Casuistis inventa, qui formæ Baptismatis conditionem æmulasse visi sunt. Non desunt Theologi, qui meribundis, de quibus agitur, negandam esse absolutionem contendentes, in pra- xi tamen elargiendam esse, pronuntient. iQuis hoc componat discrimen sine ab- jecto prorsus conscientiæ dictamine, quod est prudenter operandi principium? (*) Sed ne fraudi locus sit, ægroti ante omnia, ut hoc Sacramento se muniant, admonentur, præsentim à medicis, quibus præceptum est, ut ad ægrotos adducti, an- tequam illorum curam suscipiant, eos moneant, ut idoneo Confessario sua pecca-*

ta confiteantur: alioquin ultra triduum ad eos visitandos non accendant juxta Const. Pii V. quia valde præpostorum est, neglecta nobilioris, ac semper duraturæ animæ cura, curando momentaneo pulveri tantopere invigilare: Eadem Syn. Provinc. Neap. *ibid.*

(**) IX. Prima, quæ hac de re occurrit Const. et ex qua posteriores emanasse credibile est, rectè dixeris Decret. Innocent. III. in cap. 13. de Panit. et Re- miss. qua medicis injunctum est, ut quum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, ut medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur; idque sub pena privationis ab ingressu Ecclesiæ. Syn. Dertus. *hoc salubre, atque utile statutum, aut oblivione, aut contentu frustrari considerans sub excommunicationis pena ipso facto incurrienda, medicis præcepit Cap. XIX. ut nullum infirmum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quod in illa ægritudine salutare Pœnitentiæ Sacramentum suscep- rit.* Didacus Deza in Syn. Provinc. Hispal. *Cap. IV.* animadvertis, quod medi- dici parum Deum timentes præf. Innocent. III. Decretalem minimè observarent, statuimus, ait, ut in posterum omnes medici nostræ Archidiæceseos, et Provinciæ sint diligentes in observatione dictæ Decretalis, statimque in prima visitatione moneant, et hortentur.... infirmos, ut confiteantur, et disponant suam conscientiam, et ita facere non omittant cum qualibet persona cuiusvis status, et conditio- nis existat; quod si talis infirmus id non præstiterit, medicus postquam de eo notitiam habuerit, illum secunda vice non invitat, neque curet.... sub pena ex- communicationis, et ducentorum marapetinorum. Consonat Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 8.* Pius V. die 8. Martii an. 1566. Innocentii Constitutionem con- firmans decrevit, medicos non debere ultra tertiam diem infirmos invisere non confessos, nisi longius tempus infirmo. *Confessor ob aliquam rationabilem causam concesserit.* Decrebat etiam, quod medici inobedientes ultra pœnas in dicta Con- stitutione contentas, perpetuo sint infames, et gradu Medicinæ, quo insigniti erant omniaco priuentur, et a Collegio, seu Universitate Medicorum ejificantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint multentur. Quam qui- dem Constitutionem suæ inseruit Collect. Jo. Teres *Lib. V. Tit. XVI. cap. 7.* Alphonsus Sap. *Leg. XXXVII. Tit. IV. P. I.* statuit, ne medici aliquem sanita- ti restituere tentarent, quin priùs peccata fuerit confessus. Carolus V. anno 1548. *Leg. III. Tit. XVI. Lib. III. Novæ Recop.* Jus Canonicum hac in re medicis, et chirurgis observandum voluit, ita ut secunda saltem vice de Confessione à se peragenda infirmum ratione teneantur, idque sub pena decem millium marape- tinorum. Henricus III. Fisco adplicandam decrevit dimidiam bonorum partem fidelium, qui absque perceptis Confessionis, et Eucharistiæ Sacramentis decesse- rent: *Leg. V. Tit. I. Lib. I. Novæ Recop.* (*)

X. Non desunt Auctores inter quos Jo. Morinus *Libro VIII. de Panit. Cap. 23.* qui docent olim apud Latinos etiam diaconos confessiones in extremo vitæ per- riculo excepsisse, lapsisque dedisse reconciliationem, atque absolutionem à pecca- tis, Presbytero absente. Huic sententiæ prora, et puppis est illud Cypriani *Epist. 12. ad Clerum de Lapsis*, ubi hæc habet: *Si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata presentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si præsens non fuerit, apud Diaconum quoque exomo- logesim facere delicti sui possint, et manu eis in pœnitentiam imposta veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* At verò Carolus Blaschus Vir Cl. et de re Canonica benemerentissimus *Tom. II.*

Opusc. Dissert. I. post expositas, rejectasque plures Theologorum, Canonistarumque in productum locum interpretationes, suam adserit, qua contendit Cyprianum tantummodo exomologesim Diaconis tribuisse, hoc est, cœrenias, ritusque ab Ecclesia præscriptos, qui tertium publicæ Penitentiae gradum constituebant, scilicet *Prostrationem*, Græcis adpellatum, haud verò manuum impositionem, quanu absolute à peccatis comitabatur, quamque diacono non tribuit Cyprianus. Hanc quidem interpretationem ab Pamelio in *Tertull. pag. 200.* Baluzio in *Epist. Cypriani* 13. Petavio in *Diatr. de Pœnit. et reconc. cap. 2.* allisque satis indicata, jam produxerat in suis Theologicis disciplinis Jo. Laurentius Berti *Lib. XXXIV. Theolog. Discipl. cap. 4.* At verò eandem Vir egregie doctus in modo indicata Dissertatione petitis undique ex antiquis Patribus, atque adeo ab ipso Cypriano argumentis mire adstruit, eruditisque animadversionibus illustrat. (**)
Verum non ita facilè ac Cypriani verba interpretari potest *Can. XXXII. Syn. Illiberit.* Si quis grari lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine Episcopi consultu; sed potius apud Episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præstare debere, nisi eis jusserit Episcopus. (*) Tum *ibid. Dissert. II.* pluribus idem Cl. Autor inquirit, num quisquis Sacerdos, licet excommunicatus et degradatus, valide urgente mortis periculo absolvat; adhæc quodnam mortis periculum revera urgens dici possit eruditè explicat. Modo indicatae in hanc rem Dissertationes omnino adeundæ.

XI. Jam verò illud, quam maximè possunt Episcopis curandum est, ac quam diligentissime providendum, ne temere *Sacerdotes ad confessiones audiendas admittantur, sed curam adhibeant non mediocrem, ut tam seculares, quam regulares Clerici exactissime de vita, moribus, et doctrina examineantur, et probeantur, ne vel caco cœcum ducente ambo in foream cadant, si scientia desit.* Eadem Syn. Prov. Neap. ibid. (***) Ad Sacerdotum confessiones audiendas eos dntaxat elegant in unaquaque Ecclesia, quorum magis sit probata vita; hinc enim tota fere pendet Sacerdotum disciplina: Antonius August. in Syn. Tarracoi. in Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXIV. cap. 15. Imò ad quorumlibet confessiones audiendas multum intererit a quibus illud Sacramentum Ministris conferatur: Syn. Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 12. (*)

XII. Tum Confessariis eadem Syn. *ibid.* haud levibus intentatis pœnis graviter mandat, ne petapt. aut exigant a pœnitentibus pecuniam, aliudque temporale lucrum, sive ob pœnitentiam pro peccatis preferendam, sive quod res sit restitutioni obligata, sive pro ritorum commutatione, sive pro celebratione Missarum, nec omnino quidquam quovis quæsito colore.

(**) XIII. Summo in id incumbendum est studio, ut in injungenda satisfactio-
nis pœna, quantum vires pœnitentis patientur, qualitati criminum respondeat, ne
si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima
quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum parti-
cipes efficiantur: Trident. Sess. XIV. cap. 8. Sed prudenter ac perite ea medica-
mina adhibeant, quæ singulis morbis sunt accommodata: Syn. Valent. ubi su-
pra. (*)

(**) XIV. Adhaec Confessarii dimittant necesse est eos penitentes, qui fratris honorem deturparunt, qui aliena bona retinent, qui in proxima peccandi occasione versantur. Eadem Syn. Valent. ibid. *qui enim, progreditur, peccata quantum in se est, non avellit radicitus, nec ritam in melius commutare statuit, fructum hujus Sacramenti non adsequitur.* Recidivis quoque, et innolita delinquendi

habitudine implicatis, absolutionem minime elargiatur. Hæc totius retro antiquitatis doctrina est, scilicet Syn. Illiberit. *Can. III. VII. XLVII. et LXII.* et Sircii ad Hicmerium Tarrac. *Cap. V.* Synod. Tolet. *III. Can. XI.* de laxata jam tum hac in re disciplina, ita conqueritur: *Comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canonem, sed fædissime pro suis peccatis homines agere pænitentiam, ut quotiescumque peccare libuerit, toties a Presbytero se reconciliari expostulent.* Has Hispaniarum Patrum querimonias si serio meditentur non nulli Confessarii, totis artibus contremiscant necesse est. Legant insuper Syn. Tolet. *VI. Can. VII.* *Sacerdos. . . . si eos (recidivos) quotilibet munere, vel favore, aut diligentia admonere noluerit, et aut revertentes suscipiant, aut contemnentes de Ecclesia (non) rejiciat, simili sententia plectatur, quoisque emendationis, vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur.* Bellum, idque teterimum indicatur Confessariis, quum ii à quibus exspectari possunt obsequia, commendationes, et munuscula suis se sistunt pedibus provoluti; totus christianæ fortitudinis spiritus necessarius est, ne à potentissimo præmii inimico evincantur. Quo circa Supremus Castellæ Senatus jure merito legata omnia à pænitentibus extremo morbo laborantibus, in Confessariorum, vel eorum Ecclesiarum, aut Monasteriorum favorem facta, irrita declaravit Sanct. *III. Tit. V. Lib. V. vulgo Autos Acordados:* *Quum profanis enim sacrisque Legibus interdictum sit judicibus omnibus ne se muneribus corrumpi patientur, quo liberiores sint, ad suum jus cuique tribuendum; multo id magis in confessionis judicio servandum est, ubi salus agitur animarum:* Syn. Tolet. an. 1582. *Act. III. Decr. 26.* alias 27. Et ut à Sacramentorum administratione tollatur omnis avaritie suspicio, neque votorum commutatio in propriam Confessarii utilitatem edenda est, quamvis Confessarius accepta aliqua pecunia quantitate se Missas celebraturum esse dicat. . . . Qui contra fecerit in excommunicationem incidat: Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 18.* (*)

(**) XV. *Careat autem omnino Confessarius, ne verbo, aut signo, aut alio quoris modo aliquatenus prodat peccatorem.... quoniam qui peccatum in pænitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum, verum etiam ad agendam pérpetuo pænitentiam in arctum Monasterium detrudendum decrevit Innocent. III. de Panit. et Remiss. cap. 12, cui consonat Lex XXXV. Tit. IV. P. I. Rigorem auxit Synod. Penna-fid. Cap. V. constituens, quod si qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tanquam deportati, et in metallum damnati, perpetuo carceri mancipentur, pane, et aqua pro vita sustentatione solummodo reservatis; quin et Cap. VI. omnibus ejusdem Provincie Tolet. Episcopis injunxit, ut Constitutionem hanc in sua quisque Dicēses promulgandam eurent. (*)*

(**) XVI. Animadverat quoque Confessarius, Pénitentiae forum locum non esse aptum superfluis sermonibus. Spiritus luxurie potentissimus, subtilissimus, et audacissimus est, ita ut ne ipsis parcat Sacerdotibus, quum ad ipsum debellandum se sistunt. Qua de re præf. Synod. Tolet. anno 1582. *Act. III. Decr.* 28. alias 29. Sacerdotem, qui cum scemina, cojus antea Confessionem audivit, polluitur; per suspensionem ab Officio, et Beneficio, aliisque pœnis puniendum sanxit. Plures Summi Pontifices in Confessarios solicitantes Constitutiones edidere. Paulus IV. Pius IV. Clemens VIII. Paulus V. Tandem vero Gregorius XV. an. 1622. Alexander VII. an. 1665. et nuper Benedictus XIV. 1. Julii an. 1741. quarum vi Constitutionum denuntiandi sunt hæreticee pravitatis Inquisitoribus Sacerdotes, quicunque ii sint, qui pénitentem sive in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel immediate post, sive occasione, aut prætextu Confessionis, sive in alio

loco ad id destinato cum simulatione confessionis, ad inhonestata solicitare, aut verbis, aut signis, aut natibus, aut tactu, aut per scriptum, vel tunc, vel postea legendum tentaverint, vel illicitos, aut inhonestos sermones, aut tractatus habuerint. Ab hoc autem denuntiandi onere non eximitur solicitatus, etiamsi, solicitans Sacerdos erit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertendam careat, aut solicitatio inter Confessarium, et penitentem mutua fuerit, sive solicitationi pœnitentis consenserit, aut non, vel longum tempus post ipsam solicitationem jam effluerit, aut solicitatio non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. (*)

(**) XVII. Ut omnem demum turpitudinis occasionem à Sacri Tribunalis sanctitate averteret idem Summus Pontifex, in eadem Constitutione omnibus prorsus Confessariis, omnem omnino facultatem excipiendi Confessionem personæ complicitis in peccato turpi abstulit, præter casum extremæ necessitatis, et deficiente tunc quocunque alio Sacerdote. (*)

(**) XVIII. Ad vitanda hæc abusionum monstra, plura prudentissimo sane consilio, nuper constituta sunt de confessionum excipiendarum modo. Superpellitcei usum præscribunt præf. Synod. Tolet. an. 1582. Act. III. Decr. 30. alias 31. et Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 17. quin et hæc eadem Syn. ibid. Confessionalia confici decrevit in quibus apto, et patenti loco confessiones potissimum faminarum audiri possint. Alphonsus Sapiens Leg. XXVI. Tit. IV. Part. I. mulieres confessuras non è regione, sed propè Confessarium adesse voluit. Mox laud. Synod. Tolet. Decret. 27. alias 28. Confessionalia ita confici statuit: ut inter Confessorem, et mulierem penitentem honestatis causa ferrea lamina, aut tabella minutis foraminibus pertusa interponatur. Postremò, ut omnis prava consuetudo penitus eradiceretur, et Confessiones tam virorum, quam mulierum, qua par est reverentia excipiantur; exstat S. Inquisitionis novissimum Decretum 12. Novemb. an. 1781. quo gravissimis constitutis pœnis Conciliorum hac de re statuta ad proxim reduci jubentur. (*)

CAPUT SETIMUS.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

I. Extremæ Unctionis ministros Sacrae litteræ Jacobi V. v. 14. solos Presbyteros aperte produnt, et ex traditione Ecclesiæ nonnisi Parochus, vel ejus delegatus illam jure administrat. Regulares sub pena excommunicationis latæ sententiae, et sedi Apostolice reservatae, vetantur hoc Sacramentum Clericis, vel laicis ministrare. Clementin. I. de Privil. Apud Græcos more ab Ecclesia Latina nunquam improbato, non Episcopi modo, verum et simplices Presbyteri, ac potissimum Parochi, Sacrum Oleum conficiunt, ac benedicunt: Goar in *Notis ad Rituale Græcorum*. Verum in Ecclesia Latina ex antiquissima consuetudine nonnisi Episcopi hanc consecrationem, sive benedictionem peragunt.

II. Extrema Unctio quibusnam ministranda sit perbellè exponit I. Syn. Prov. Neap. cap. 18. Ut autem Sacramentum hoc neque sanis corpore ministrandum est, nec jam ingressuris mare ventorum vi turbatum, nec paulo post prælium commissuris, nec capite damnatis, nec denique infantibus nondum rationis usu præditis: ita neque eis denegandum est, quibus, mortifero vulnere accepto, mortis imminent periculum, sive superveniente febre correpti, sive vulnere tantum e vita decedant, etsi nec peccata confessione expiare, nec Eucharistiam sumere potuerunt, modo tamen ostenderint signa penitentia. Tum ibid. Parochis mandat, ut

ægroto, dum integris est sensibus, illud conferant, nec in eum articulum temporis differatur, in quo infirmus sensu omni caret, specie recuperandæ sanitatis. (**) Quo pacto ministranda sit, ac quanam reverentia Sacrum Oleum deferri, contrectari, et servari beat optime expresit Andreas Albalatus in Const. Syn. Valent. an. 1255. Constit. de Extrema Unctione: Omnibus in ægritudine constitutis tradatur a Sacerdotibus, et in Ecclesiis publice prædicetur, et in Sancto die Jovis quilibet Sacerdos Parochialis mittat pro Oleo infirmorum, Catechumenorum, et Chrismate sancto tres ampullas, et cum omni magno honore, et reverentia Sanctum Oleum ad infirmum deferatur, et eos ungt Sacerdos cum magno honore, et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt instituta. . . Illud tamen notandum est, quod istud Sacramentum, tantum præstatur adultis, et sicut Pœnitentia iteratur, ita et istud Sacramentum. Id tamen præscribendum voluit Syn. Tarragon. circiter an. 1248. ut Sacramentum Extremæ Unctionis pœnitibus libere, et sine pecunia a Sacerdotibus ministretur. Collect. Cons. Superfl. de Sacra Unctione ex Lib. I. Cap. un. (*)

III. Sanctum Oleum ad hoc Sacramentum, et ad Baptismum necessarium quotannis renovandum est, et à Parochis, ne sacrilegio violari possit, ea qua pars est, diligentia vasis argenteis bene clausis repositum servandum est, et quidem patenti in loco à cornu Evangelii prope aram maximam clave munito, quæ à solo Parocco servetur: ostiolo vero inscribatur: *Sacra Olea*. II. Syn. Prov. Neap. Tit. III. cap. 6. (**) Id ipsum penè de Sacri Olei custodia præscriptum est in Syn. Hispal. an. 1512. Cap. L. et Collect. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXVI. cap. 1. (*)

IV. Quamvis non eadem semper fuerit Ecclesiæ disciplina, ut hæc, aut illa corporis membra stata lege sacro Oleo, inungerentur; quom interdum aut dunt taxat pectus, aut membrum, quod majori dolore cruciaretur, inungi consuevit videamus; pluribus tamen ab hinc sæculis mos invaluit, ut oculi, aures, nares, os, manus, tum et pedes, ac renes oblinerentur. Ita Rituale Rom. præscribit: at ibidem subnectitur honestatis ergo in mulieribus renum unctionem esse omittendam, quod quidem et in viris servandum jubetur, si eo morbo laborat infirmus, ut non sine incommode moveri possit. Quod tandem ad formam, qua hoc Sacramentum confertur attinet, ea olim indicativa potius fuisse videtur, licet orationem aliquo modo complecteretur; at deinde in deprecativam immutata est; quam et probavit Syn. Trid. et omnino adhibendam decrevit Sess. XIV. cap. 1. de Extrem. Unctione.

CAPUT OCTAVUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

(**) I. Conjugium, hoc est pereane maris, et foeminae conubrium, adeo improbarunt Manichæi, ut illud adpellare non duvitarerint *opus diaboli, scortationem, et impudicitiae negotium*. His edocti Priscillianistæ, in promiscuo mulierum usu tanquam sues voluntabuntur, ut evincitur ex Epist. XCIII. alias XV. Leonis Mag. ad Turibium Asturic. cap. 7. Contra quos Patres Toletani in Regula Fidei Can. XVI. adjecta Syn. Tolet. I. ita definit: *Si quis dixerit, vel crediderit conjugia hominum, quæ secundum Legem Divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit*. Consonat Syn. Bracar. I. Can. XI. *Si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit sicut Manichæus, et*